



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 2. Deum Sanctis suis multa occultu reuelare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

entes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, eò quòd vniuersa aequè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator: ut periurus, ita & ille qui verum deierat.

§. II.

Deum Sanctis suis multa occulta reuelare.

Ita sanè est, nemo scire potest, quid alter cogitet, aut in pectore clausum gerat. Quanto autem minùs quis scire potest ea, quæ sibi Deus reseruauit, aut in consilio suo statuit? Nihilominus sicut Princeps nonnumquam fido sibi homini secreta animi sui pandit, ita & Deus subinde amicis suis futura occultaque reuelauit. Quàm multis Gen. 6. 13. antè annis Noë diluuium prædixit? Quàm clarè Abrahamo patefecit interitum Sodomitarum? Num celare potero Abraham, qua Gen. 18. gesturus sum? ait. Quàm disertè Elisæus dixit ad Giezi: Vnde venis Giezi? Nonne cor 4. Reg. 5. meum in presenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Quàm seuerè Petrus sacrilegum manifestauit illis verbis: Act. 5. 3. Anania cur tentauit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?

Pro-

Prophetis & Patriarchis in veteri testamen-
to, Apostolis & Sanctis in nouo testamen-
to, quot futura Deus, quàm occultas res non
aperuit? Nimirum sciebat eos non curio-
sitate gauisuros, aut triumphaturos vani-
tate, sed scientia illa reuerenter, atque ad
hominum vtilitatem vsuros. *Confiteor tibi, Matth. 11.*
Pater, Domine cali & terra, quia abscondisti 25.
haec à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea
paruulis, ait Seruator. Talem paruulum,
cui Deus multa reuelauit, non superbè ca
iactanti, sed ostendenti, *cum simplicibus esse* Prou. 3.
sermocinationem eius, adducam, vt ab eo dis- 32.
camus, quo pacto bellum sit finiendum, &
pax impetranda, orando potiùs, quàm di-
micando: maior enim spes est in votis, quàm
in armis.

§. III.

Alijs oculis homines à Deo, alijs ab hominibus
aspici.

Tempore Constantini Imperatoris habuit
S. Antonius Magnus discipulum, in Thebai-
de, *Paulum* nomine, qui ob animi sinceri-
tatem & candidos mores, *Paulus Simplex*
fuit appellatus. De quo Græci in Menolo-
gio, & Cardinalis Cæsar Baronius, in Mar-
tyrologio die 7. Martij, Abbas autem An-
hufanus

Abbas
Anhufanus